# DISSERTATIO
## PHILOSOPHICA INAUGURALIS
## DE
# LUXU ATHENIENSIUM
## INDEQUE
## SUBNATA LUXURIA, AB ANTIQUISSIMIS TEMPORIBUS USQUE AD PHILIPPI, MACEDONIAE REGIS, MORTEM.

PARS PRIOR,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM GRYPHIENSIUM

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

TERTIO NONAS DECEMBR. MDCCCXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AMADEUS GUSTAVUS BOGISLAUS ZANDER.

OPPUGNANTIBUS

FRIDERICO HERGETIO STUD. PHIL.

ET

CAROLO POHLIO STUD. PHIL.

[illegible] AE
[illegible] EG. UNIV. TYPOGR.
[illegible] VIII.

## PROLEGOMENA.

Scrutantes omnium fere ſeu veterum, ſeu recentiorum populorum hiſtoriam, illud animadvertiſſe nobis videmur, ſuccreſcente identidem morum cultura opumque magnitudine, luxum [1]) quendam propullulaſſe primum, continuis deinceps auctum incrementis, qui rudi, ſtupida atque agreſti hominum vita non contentus ea, quae ad vitae commoditatem, elegantiam, imo et ſplendorem ſpectant, parare ſtuderet. Poſſent, quibus tuti praeſtarentur ab aëris injuriis Principes noſtri ac proceres, humiles habitare caſas, at

1, Etymon vocabuli fortaſſis aptius a vocabulo „Lux" indeque nato verbo „luceo", quam aliunde deducendum, ab aliis a luxando repetitur, quaſi luxus luxando mores laxet evertatque. Sed quidni a luce et lucendo luxus dictus, quum luxui deditj ſplendere prae aliis aliosque ſplendendo ſuperare geſtiant.

vero ex altis amplisque palatiis exiguas circumquaque domos contemplantur. Et ſciunt quidem, qui litterarum ſtudiis eruditi ſublimiori ſunt ingenio, totum hoc quaque late patet univerſum, templum eſſe Divinitatis auguſtiſſimum; at vero vulgi animus quaſi per ſcalas ad cultum Divinitatis evehendus eſt exſtruendis altis templorum molibus et turribus inſuper imponendis. Atque quod paucis hisce de arte architectonica innuimus, idem de omnibus ad artes atque ad victum cultumque pertinentibus rebus intelligi poteſt. Saepiſſime vero luxus ille in luxuriam effuſamque morum licentiam et inhoneſtas turpesque adeo voluptates degenerat. Nam profecto non parum eſt, penicillo, ſcalpro coelove ſiſtere in tabula, lapide, aëre naturam cum omnibus rerum varietatibus ita, ut vivere credas imaginem; mirabile ſane, eam ingenii vim inditam eſſe artificibus eamque manuum dexteritatem; at vero inhoneſtum et pudibundum, priapëia aut cythereia Veneris ſacra exhibere, inque hujuscemodi artibus luxuriari revera artem nemo negaverit. Quod de pictura aliisque artibus formatricibus, idem cenſendum de poëſi, ut omnes alias res, in quibus luxuriari ſolent homines, taceam. Laudabile eſt, quod nemo, niſi admodum rudis, infitiabitur, canere heroas, virtutes et inſignes virtute viros; at vero cum blanditur vitiis ars poëtica, et ipſa blandis lubricisque modis in turpiter petulantem luxuriam exuberat. Sufficiat, haec pauca univerſim de luxu et luxuria praemonuiſſe, quibus qui uti ſciverit, haud adeo trepide in disſolvendis illis quaeſtionibus verſabitur: ubi illa linea ſit, qua luxus a luxuria discriminetur, eadem inquam linea, qua differt uſus ab abuſu, qua ratio a ſtultitia, qua virtus a vitio; an luxus plus mali, quam boni afferat reipublicae; quibusve praeſidiis caveri poſſit, ne luxus in luxuriam degeneret? Nos hîc manum de tabula modeſte ſummovemus, non extra hiſtoriae fines in diſſertatiuncula noſtra evagaturi.

Eccur autem hiſtoriam luxus Athenienſium potius, quam alius cujusdam populi perſequendam ſusceperim, ſi quis roget, ſic habeat: duplicem mihi fuiſſe ejus inſtituti rationem, alteram: quod iſte populus ſive litterarum artiumque culturam, ſive interius civitatis ipſius regimen, ſive foedera bellaque cum aliis geſta ſpectemus, haud dubie celeberrimis adnumerandus, jamdudum ſtudia mea in ſe converterit; alteram: quod hisce praecipue temporibus totius Europae, imo orbis hujus oculos ac mentes ad ſeſe rapuerit, eo quod haud vana ſpes ſit, fore, ut tutius litterarum artiumque commercium cum Graecis, et vel maxime cum Athenienſibus reviviſcat.

Antequam autem ad hiſtoriam noſtram pertexendam aggredimur, tres omnino periodos, quibus continebitur, ſtatuere commodum arbitramur, *primo loco, an et qualis* ante vel ipſa Solonis tempora exſtiterit luxus apud Athenienſes examinaturi, altero qualis fuerit a Piſiſtratidis usque ad Periclem, tertio quantus a Pericle iude usque ad Philippum, Macedoniae regem, viſuri.

---

# Caput I.

*De luxu Atheniensium ante Solonis aevum.*

§ 1.

Agnovisse luxus quoddam genus jam ante Solonis tempora, si quid tribuendum est argumentis a verisimili ductis, Atheniensium populus profecto debebat, utpote satis vicinus orientalioribus splendorem amantibus populis ipseque elegantissimarum formarum quotidie spectator artificiosissimus, et pulchrae ac in Graecia praecipue apricantis naturae pro suopte ingenio Daedalus. Praefulgere porro Rectores magistratusque reliquis civibus oportebat, et solent, qui primas reipublicae partes vel tenent, vel appetunt, sumtibus faciendis non minus popularem auram sibi colligere, quam collectam servare, idque tanto impensius, quo magis civium oculos in se convertere exoptant.

Sed fuerunt [1]), qui contrariam nostrae sententiam tuendam putarent, atque hi toti in eo sunt, ut auctoritatem testium nobis faventium enervent. Nolumus enim nos hîc pugnare argumentis, in mera probabilitate positis, ubi pugnandum est certis rationibus auctoritatibusque. Testes enim rei nostrae habemus Aelianum, Heraclidem Ponticum, Thucydidem, Diodorum Siculum.

---

1) Meiners historia luxus Ath. p. 2—18.

§ 2.

Narrat Aelianus [1]), Heraclidem Ponticum auctorem sequens: „veteres Athenienses purpureas vestes induere solitos et variis amiciri tunicis; corymbis etiam implicuisse capillos, iisque aureas cicadas inseruisse, aliisque ornamentis ex auro appositis et appensis utentes in publicum processisse. Secutos vero esse quocunque irent pueros cum sellis complicatilibus.“ Et Aelianus de suo addit: „manifestum est, mensam etiam aliasque vitae rationes ipsis fuisse delicatiores.“ Nec dissimilia Thucydides [2]) tradit dicens: „Athenienses primos Graecorum ferrum deposuisse et è soluto vitae genere in lautius transiisse, ferre etiam desiisse linteas tunicas atque cincinnos comae capitis nexu aurearum cicadarum implicuisse.“ Quid, quod et Diodorus Siculus [3]) memoriae prodidit: „Athenienses, jonica luxu ac lascivia enervatos, Solonis legibus paullatim ad virtutem optimarumque artium studia traductos esse.“

Ii vero, qui contrariam nostrae sententiam tuentur, nulla ipsi neque apta conjectura, neque auctoritate nixi, satis esse putant, testes a nobis productos in sublestae fidei suspicionem adduxisse, cum Heraclidem Ponticum quidem dicant pronum ad quaeque credenda fictarumque rerum fuisse impudentem auctorem, qui diversissimorum temporum res commiscuerit; Aelianum vero omnium fere Graecorum Romanorumque compilatorum fuisse negligentissimum arguunt, et Diodorum Siculum ejusdem paene levitatis teneri arbitrantur. Sed nec Thucydidis, gravissimi auctoris testimonium reverentur. Quid, quod ad stabiliendam suam sententiam, nihil luxus inter Athenienses ante Solonis tempora exstitisse, ipsi Thucydidi Thucydidem, Xeno-

---

1, Aelian. var. hist. IV, 22.
2, Thucyd. I, 6.
3. Diod. Sicul. vol. IV, p. 41 ed. Bipont.

phontem et Plutarchum [1]) opponunt, quippe qui doceant, totius Atticae fructus ad incolas alendos non ſuffeciſſe et metallorum reditus maximam partem ad alimenta comparanda fuiſſe conſumtos, eaque ex cauſa Solonem etiam cujusvis generis alimenta, oleo excepto, exportari vetuiſſe [2]). In quo denique ſibi triumphare videntur eſt redituum modulus, quo qui a Solone primae claſſi adſcripti erant, fruebantur. Etenim qui vel quingentos medimnos quotannis liquidorum aridorumque colligerent, quatuor populi claſſium primi cenſebantur [3]), unde, inquiunt, conjicere licet, neque illis ipſis, neque aliis, qui inferioribus claſſibus eſſent adſcripti, multum ad luxum exercendum ſuperfuiſſe.

Sed qui ita ratiocinantur, ſi non vident, conciliandos, quoad *fieri poſſit, ipſis* ſibi auctores eſſe, nae illi parum judicii critici produnt! Etenim, quod norunt agricolae, haud adeo per ſe infertile et ceterarum frugum impatiens eſt ſolum, ſuapte natura ferax olivarum; ſed agrorum cultura plus, quam olivarum, laboris exigit. Mirumne, obſecro, ſi, quod vel hodie dum fieri videmus, ſuburbia habitantes aut pagos, agris et agriculturae valedicentes, illecti urbis luxu, in eam Lares transferunt? Sapuit igitur revera Sapientis cognomine dictus Solon, cum alimenta cetera praeter oleum exportari vetuit; ſapuit, inquam, cum, qui ſaltem quingentos medimnos liquidorum ſiccorumque colligerent, eos quatuor conſtitutarum claſſium primos declararet, honoris ſtimulo eosdem ad agriculturae ſtudium excitaturus, eademque arte a luxu avocaturus.

---

1, Thucyd. I, 2. Xenoph. de Provent. I. Cyneg. 12. Plut. Solon. I, 360—364. ed. Reisk. Barthelem. Anacharſ. verſ. Germ. IV, p. 319. F. A. Wolf ad Lept. p. 252.

2, Plut. Sol. c. 24.

3, Pollux 8, 10, p. 955, ed. Hemſt. Plut. Sol. I, p. 349 Reisk. Boeckh. de oecon. pol. Ath. II, p. 29.

§ 3.

Porro ubi artes exercentur, ubi commercium viget, ubi divitiae ſunt, ibi quoque luxui locum eſſe, ex ipſa rei natura ſequitur. Haec vero omnia Athenis ante Solonem fuiſſe demonſtrabimus.

Jam ſi usque ad Homerica tempora regredimur, multas a Graecis invenimus artes exercitatas. Namque ſi in Homeri carminibus de veſtibus artificioſe factis, de capitis pedumque indumentis ſatis ſplendidis, de aedificiis voluptati magis, quam uſui accommodatis, de haſtis, gladiis, clypeis, thoracibus, galeis, ocreis aliisque armis affabre elaboratis [1]) multa reperimus, his jam temporibus artes floruiſſe, quae luxui inſervirent, negari nequit. Quod ſi conceditur, Athenis quoque artes exercitae ſunt. Neque hoc fieri aliter potuit. Phoenices enim jam et antiqniſſimis temporibus artibus excolendis ſedulam navantes operam non ſolum cum toto tunc temporis noto terrarum orbe, quae fabricaverant, communicabant; ſed etiam omnibus ſui imitandi ſtudium impertiebant. Obtinuit praeterea Athenienſes inter atque Jones Aſiam minorem incolentes intima familiaritas, quae, cum Jones jam omnes fere artes exercerent, Athenas quoque propagare eas debebat. Quod vero commercium ante Solonem viguerit, id vel inde apparet, quod Phoenices Jonesque, ut in vulgus notum eſt, ſaepiſſime ad negotia factitanda navibus Athenas peterent, indeque, quae commutando acquiſiverant, in patriam reportarent. Ita Plutarchi ille locus, jam ſupra laudatus, quo, qui aliter ac nos ſtatuendum putaverunt, ſententiam ſuam defendere conati ſunt, non minus faveret noſtrae ſententiae, quippe qui aperte doceat: Athenienſes jam modum

---

1) Feithii antiq. Homer. III, 6. 7. IV, 8. 9. 10.
2) Plut. Sol. c. 24.

excessisse in frumentis exportandis, si quidem, inquam, ita comparatus esset, ut ad ea, quae illi volunt, probanda valeret, quod tamen ita non esse demonstravit Boeckhius V. C.[1]) Denique si eorum, quae de Eupatridarum opibus, quaeque de Alcmaeonidarum divitiis legimus [2]), recordamur, facere non possumus, quin supra proposita in sententia persistamus.

§ 4.

Praeterea, quae ab altera parte contra scriptorum laudatorum fidem prolata sunt, non sunt ejusmodi, ut nos in eandem opinionem pertrahere possint. Etenim, quod Heraclides Ponticus tradit, unde sit pro commento habendum, non intelligitur, neque magis, unde, quod illi dicunt, factum sit, ut commentum illud Dionysius nimis temere pro vero receperit. Neque Aeliano omnem fidem, quia hic illic minus vere locutus est, abjudicare possumus, nunquam enim, nobis quidem judicibus, rem plane finxit, sed pro suo aetatisque, qua vixit, more exornavit, et simplici traditioni aliquid admiscuit. Thucydidis vero verba ita manifeste loquuntur, ut, quod contra dici possit, non inveniatur. Denique quid de terrae sterilitate, de non sufficiente ad incolas alendos proventu, deque illa Solonis lege, qua exportari alimenta non licuerit, statuendum sit, non est, quod ultra dicam.

Etiamsi vero haec omnia nos non commovissent, ut contrariam sententiam sequeremur; attamen, quae nunc producentur scriptorum luculentissima testimonia; omnem dubitationem ademissent. Invenimus enim, Solonem legem dedisse [3]): „ne convivio supra triginta hospites admoverentur, atque, quo haec lex servaretur fidelius, Gynaeconomicos instituisse, quibus curae esset, ut convivantium do-

---

1, Boeckh. de Oecon. pol. Ath. I, p. 45.
2, Herod. VI, 127. Isocrat. II, p. 431 ed. Battie.
3, Petit. legg. Attic. p. 646 ed. Wessel.

mos adirent, hospitumque numerum inirent [1]),“ quam legem profecto non dedisset, nisi jam subinde modum cives transgredientes luxui animum applicuissent. Atque Cicero [2]) auctor est, „cum jam sumtuosa funera fieri et lamentabilia coepissent, ejusdem Solonis lege sublata esse.“ Ita quoque si eum ad annua sacrificia facienda certam pecorum multitudinem destinantem videmus [3]), facile cogitatio sabnasci potest, animadvertisse eum, civium animos ad modum in hac re transgrediendum propensos fuisse.

Neque tamen, si sententiam, qua jam ante Solonem Athenienses luxui deditos fuisse statuitur, defendimus, ad omnes omnium generum cives descendisse eum contendimus; imo vero, a paucis, iisque nobilissimis ditissimisque tantum exercitum asse, arbitramur.

---

## Caput. II.

### *De luxu a Pisistratidis usque ad Periclem.*

### § 1.

Accedimus ad illa tempora, quibus Atheniensium civitas et virtute bellica, et auctis divitiis plurimum quidem incrementi cepit; sed simul luxu magis magisque increbrescente turbata est. Pisistratus enim filiique ejus Hippias et Hipparchus cum expeditionibus bellicis [4]), tum optimis institutis civilibus multum ad civitatis opes augendas contulerunt. Ipse quidem Pisistratus talis erat, de quo Solon

1, Petit. ad legg. Attic. p. 647 ed. Wessel.
2, Cic. de leg. II, 25 fin.
3, Markl. ad Lys. contra Nicom. tom. V, p. 857 ed. Reisk.
4, Meurs. Pisistrat. c. 8.

praedicare posset, praeter studium tyrannidis non fuisse alium magis a natura ad virtutem comparatum, nec meliorem civem [1]); neque tamen celari potest, eum ad luxum invehendum multum fecisse, cui rei testimonio sunt, quae de eo Meursius in libro singulari exposuit dicens: „Apollinis Pythii templum eum struxisse; novi templi Jovi Olympio sacri fundamenta jecisse; Gymnasium in Lyceo exstruxisse; Calirrhoën fontem exornasse; Bibliothecam instituisse et Homeri carmina collegisse“ [2]). Nec patris dissimiles fuisse videntur filii, qui et ipsi, quamvis ab optimis scriptoribus ob merita in rempublicam laudentur, luxui tamen augendo ansam praebuere [3]), qua de re, quae Idomeneus refert apud Athenaeum [4]), conferenda sunt.

## § 2.

Verum exactis tyrannis insecuta sunt tempora illa, quibus Athenae summum magnitudinis fastigium ascenderunt, talesque viros procreaverunt, qui animo forti, excelso, laudisque magis, quam commodorum cupido omnium saeculorum admirationem sibi ferrent, id, quod nemo, qui Miltiadis, Themistoclis, Aristidis Cimonisque egregia facta legerit, infitias ibit. Et paene dixerim, omnes fere domesticas bellicasque virtutes tunc temporis sedem suam Athenis fixisse. Nam sine illa vi et sanctitate religionis, legum magistratuumque auctoritate inviolata, fide, justitia, severitate omnis disciplinae, innocentia, fortitudine, magnanimitate una cum sincero amore patriae libertatisque, quae virtutes hostibus quoque admirationi fuerunt, efficere non potuissent, quae in factis eorum legendis ita animum nostrum oblectant tenentque, ut in alia tempora, a nostris

1) Meurs. Pisist. c. 6.
2) Meurs. l. c. c. 6. c. 7. c. 9.
3) Meurs. l. c. c. 15. aliis locis.
4) Athen. XII, p. 532. f. p. 1190 ed. Dind.

quam maxime diversa, in alium quasi rerum orbem delati videamur. Ubi autem est animus elatus justitiaeque amans, ibi etiam sinceritatem esse in moribus omnique vita consentaneum videtur. Ita et mores Atheniensium; quamquam non ab omni plane luxu, id quod negari nequit, alieni erant; attamen luxus iste nequaquam eo usque excreverat, ut ipsis eorum moribus perniciosus fuisset. Quas enim a barbaris victis sibi paraverant divitias in reficiendam communiendamque urbem impendebant [1]), singulorum vero civium domus parvae exiguaeque erant, atque ne illorum quidem supra laudatorum virorum domus excellebant [2]). Plerique cives raro, nec ipsis semper diebus festis, rure in urbem veniebant; quia hauddum solemnia illo splendido cum apparatu, quo postea, celebrabantur [3]). Sed hic rerum status per longum tempus non duravit. Nam fieri non potuit, quin amplissimae illae divitiae, quae victoriis multis, iisque de populo ditissimo partis, Athenas confluebant, paullatim mores subverterent, luxu in luxuriam desinente, quae omnes deinde hominum ordines pergrassata est.

---

## Caput III.

### *De luxu a Pericle usque ad Philippi mortem.*

### § 1.

Antea optimus quisque et vitae suae exemplo et auctoritate arcere luxum a civitate studuerat; nunc vero, ut ipse clarior potentiorque fieret apud populum, pro viribus eum

1, Thucyd. 1, 89—93.
2, Demosth. Olynth. I, p. 35, 29 sq.
3, Isocrat. I, p. 337 ed. Batt.

invehere conabatur, ita ut quam veluti habenam coercendis pravis reipublicae corrumpendae conatubus reprimendisque temerariis cupidinibus custodemque legum et veteris disciplinae majores habuissent, tota removeretur. Atque his caussis, quibus et aliae multae, deinceps afferendae, accedebant, factum est, ut luxus hujus periodi omnino in luxuriam exuberaret.

## § 2.

Quantae fuerint civitatis singulorumque civium opes, liceat primo loco commemorare. Illatis ex praeda Persica divitiis, postea Pericles tributo, quod socii solvere debebant, adaucto ita reipublicae reditus amplificavit, ut pro CCCLX talentis DC talenta quotannis acciperet, atque simul effecit, ut, quod antea Deli fuerat aerarium, Athenas transportaretur, eaeque pecuniae, quae ab Aristide ad classes aedificandas exercitusque comparandos constitutae erant, in usum Atheniensium consumerentur [1]). Hoc tributum, cum ab Alcibiade geminatum MCC talentorum summam efficeret, a Lycurgo oratore ad MCCC talenta exaggeratum est [2]). Aristophanes auctor est [3]), annuos reditus duo millia talentorum confecisse [4]), et, Demosthene teste, supra decem millia talentorum in Acropoli in aerario publico asservabantur [5]). Neque minores divitias apud singulos cives reperimus, inter quos primus nominandus videtur Nicias, dux ille Atheniensium temporibus belli Peloponnesiaci, non minus opum immensitate, quam adversa fortuna clarus; hic

---

1, Thucyd. II, 13.
2, Meurs. Fort. Att. c. 7. Thes. Graev. vol V, p. 1714 sqq.
3, Aristoph. Vesp. 660.
4, Xenophon tamen Cyrop. VII, 1, 27. ei adversari videtur dicens, mille tantum talenta fuisse; sed vid. Boeckh. de Oec. pol. I, p. 465.
5, Demosth. p. 174, 3. et p. 35, 6. Cfr. Boeckh. l. c. I, p. 475.

enim mille servos [1]) centumque talenta pecuniae possidebat [2]). Sed insignior nobilitate opumque affluentia Hipponici Calliaeque familia erat, quae a Triptolemo originem ducebat; etenim jam Solonis Pisistratique aetate ita excellebat, ut nemo Atheniensium ei par esset. Callias quidam Pisistrati, quotiescunque e civitate ejectus est, bona, pecunia data, sibi comparavit [3]); quem tamen superasse opibus Hipponicus secundus dicitur [4]). Ejus vero filius Callias secundus omnium Atheniensium ditissimus fuisse perhibetur, utpote qui, cum propter immensas, quas possidebat, pecunias Laccopluti cognomen accepisset, atque ad quinquaginta talenta solvenda, quod a Persis ipsi oblata sibi dona non abnuerat, damnatus esset, sine ullo negotio litem aestimatam pendere posset [5]). Ejus maximae opes, quas ducenta talenta fuisse Lysias dicit [6]), per manus Hipponici tertii, filii ejus, traditae sunt, cujus uxorem, cum ipse vitam cum morte commutasset, Pericles in matrimonium duxit. Ipse vero filiae, Alcibiadi collocatae, decem talentorum dotem dederat, decem alia additurus, ubi primum filius iis natus esset [7]). Huic vero stirpi propinquus non est ille Callias, qui pro Miltiade litem quinquaginta talentorum, quibus multatus erat, solvebat, ut filiam ejus, Cimonis sororem, in matrimonium duceret [8]). Ipsius autem Alcibiadis divitiae amplissimae fuere, quas quidem a patre non ita magnas acce-

---

1, Xenoph. de Vect. IV, 14. Plutarch. vit. c. 4. Athen. p. 172, e. p. 590 Dind. Quanti hi servi aestimandi sint, docet Boeckh. l. c. I, p. 13.
2, Lysias pro bon. Arist. p. 638. Reisk.
3, Herod. VI, 121.
4, Athen. p. 536, f. p. 1198 sq. Dind.
5, Boeckh. de Oec. pol. I, p. 412.
6, Lysias pro bon. Arist. p. 649 sq.
7, Andocid. contra Alcib. p. 117 Reisk.
8, Corn. Nep. Milt. c. 7. Cim. c. 1.

perat, ſed ipſe undique conquiſiverat. Affirmat praeterea Critias apud Aelianum[1]): „Cleonem, antequam rempublicam capeſſeret, non habuiſſe victum libero homine dignum, poſtea vero qninquaginta, vel, ut alii legunt, centum talentorum rem reliquiſſe.“ Denique Epicrates quidam ſexcenta talenta poſſediſſe dicitur[2]), ut Paſionem, Iſchomachum, Stephanum Thalli filium, Onetorem, Ergoclem, alios taceamus.

## § 3.

Sed praeter divitiarum redundantiam et aliae fuerunt ſatis multae cauſae, quae ad rempublicam luxu indeque ſubnata luxuria complendam conducerent. Athenienſibus tum quidem interior peregrinorum populorum notitia commerciumque contigerunt, praecipue parto Ariſtidis Cimoniſque virtute maris imperio. Nam ita iis mercaturae exercendae commoditas data eſt[3]), quam ad populos, luxuriae cum maxime deditos, ad Perſas, Jones, Lydios, Sybaritas, Tarentinos[4]), alios, perduxiſſe eos, ipſosque hac lue infeciſſe, liquet. Jones ſane, quos tempore incurſionis Heraclidarum ab Achaeis debellatos et in fugam actos Athenienſes in ſuam urbem receperant, unde poſt Codri obitum, non coloniae deducendae, ſed communi potius, quod tunc invaſerat Graecos, migrandi ſtudio et ipſi correpti[5]), Ne-

---

1, Ael. Var. hiſt. X, 17.
2, Suid. et Harpocrat. ſ. v.
3, Quae et quanta illa fuerit vid. apud Boeckh. de Oec. pol. I, p. 50 ſq.
4, Cfr. Athen. XII. paſſim.
5, Pauſanias quidem his dictis adverſari videtur dicens VII, 2, 1, *οὕτω δὴ ὁ Νειλεὺς καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Κόδρου παίδων εἰς ἀποικίαν ἀπεστάλησαν;* neque vero Herodotus IX, 97 et Strabo IX, p. 632—633, 640. quidquam de decreto publico allegant, quod ad veritatem propius accedere videtur.

leo [1]) et Androclo ducibus [2]), quibus se aggregabant Procles, Pityrei filius, Epidauri rex, Philotas Thebanus, Philogenes et Damon Athenienses, Asiam novosque penates petiverunt, atque oram ejus, quae ab illis Ionia vocata est, oppidis frequentarnnt, Jones igitur, jam ex ea causa cum Atheniensibus arcte juncti, ad luxus genus omne patriae inferendum multum contulerunt. Ad hoc cum vel ad societates amicitiasque ineundas, vel ad negotia facienda, vel aliis de causis multi, iique nobilissimi ditissimique cives, Persas eorumque reges, quos omnium luxuriosissime vixisse constat [3]), saepius adirent multumque cum illis versarentur; fieri omnino non potuit, quin et ipsi, quippe qui ut ad bona, ita etiam ad mala omnia amplectenda propensi essent, libidinem luxuriandi, peregre haustam, domum reportarent. Praeterea, aucta in dies commerciorum maritimorum frequentia, e toto fere tunc temporis noto terrarum orbe maxima peregrinorum multitudo, mercatorum, nautarum, cauponum, opificium aliorumque Athenas, e patria quidquid ad luxum augendum conferre posset apportantes, confluxerunt. Nec praetereundum est, quod tota fere civitatis administrandae ratio hoc tempore in deterius mutata sit invecto per ambitiosos homines perniciosissimo largitionum publicarum more, et aucta per latam ab Aristide legem adeo plebis potestate, ut nullo

---

1, Ita hoc nomen scribunt Perizonius ad Aelian. var. hist. VIII, 5. Strab. XIV, 633. Maxim, Tyr. XXXV, 7. Callim. hym. in Dian. 226 ed. Spanh. Sed Herod. IX, 97. Diog. Laert. l, 22, 29. Pausan. VII, 2, 1, et Suidas *Νείλεως* vel *Νειλεύς* scribunt, cfr. Wess. ad Herod. IX, 97.

2, Nonnulli scriptores Jonem Jonum expeditionis ducem nuncupant. Cfr. Eurip. Jon. 74. Vitr. de Archit. IV, 1. Vellej. Pat. II, 3, quod vero aut corrupta lectione, aut poëtica licentia factum esse, recte evincit Claverius histoire des premiers temps de la Grèce II, p. 63.

3, Athen. IV, p. 325 sq. ed. Dind.

classium discrimine cuilibet civi etiam ad summos honores aditus pateret [1]); quo tamen non contenti Pericles judicia atque Agyrrhius comitia, τὸ δικαστικὸν [2]) et τὸ ἐκκλησιαστικὸν [3]) inducentes, mercenaria fecerunt [4]). Inde enim factum est, ut qui antea negotiis exercendis vacaverant, jam sudori molestiisque, praemiis istis propositis, facilem judiciorum comitiorumque quaestum anteponerent, et luxui ignaviaeque totos se traderent. Denique addendum, Athenienses militia detrectanda mercenariisque militibus conducendis [5]), quem pessimum morem Demosthenes [6]) illis saepissime exprobrat, magis magisque ad vitam luxuriosam invitatos esse.

Haec fere fuerunt luxus aut verius luxuriae apud Athenienses *incrementa*; sed nunc ad singulas ejus partes pertractandas transeamus, qua in re ita versabimur, ut primum de luxuria publica, deinde vero de luxuria singulorum civium disseramus.

## § 4.

Primo loco agere lubet de rebus ad sacra pertinentibus. Si numerum [7]) spectamus festorum, quae Xenophon testatur [8]) Atheniensibus plura fuisse, quam reliquis Graecis omnibus, atque sumtus iis impensos, quos Demosthenes [9]), quamquam de Panathenaeis Dionysiisque solis loquitur, tantos dicit in ea factos esse, quantos nec in

---

1, Pet. Legg. Att. p. 203 ed. Wess.
2, Plut. Pericl. c. 9. Boeckh. de Oec. pol. I, p. 250 sq.
3, Vales. ad Maussac. p. 412 sq. ed. Lips. Boeckh. l. c. I, p. 245 sq.
4, Schoem. de Comit. Athen. p. 65 sq.
5, Demosth. p. 46, 15.
6, Demosth. Philipp. I. passim.
7, Lamb. Bos. Antiq. Graec. p. 76—89. ed. Lips. an. 1769.
8, Xenoph. de Rep. Ath. 3, 2. et 3, 8.
9, Demosth. p. 50, 8 sq.

unam classem, et tantum apparatum adhibitum, quantum fortasse in nullam aliam rem", Athenienses in hac re luxuriasse jure contendere videmur. In ipsa solenni festorum pompa sacerdotes, magistratus equitesque, qui vel equis insidebant, vel plaustris vehebantur [1]), splendidissimis pretiosissimisque vestibus induti aderant, atque multae, eaeque maximi pretii res sacrae, ut populo spectaculo essent, circumferebantur. Sacrificiorum vero, quae Athenienses diis offerebant, multitudo tanta erat, ut judices, Xenophonte teste [2]), a litibus sociorum dijudicandis saepe propter temporis angustias abstraherentur, quo factum est, ut illi vel per totum annum Athenis manere nonnunquam cogerentur. Impensas vero eorum, a civitate datas [3]), maximas fuisse vel e Lysiae loco [4]) conjicere licet, ubi Nicomachum accusat, tribus talentis, a Solone in annua civitatis sacrificia praefinitis, sex praeterea talenta addidisse, ut novem jam pro tribus essent. Nonnunquam adeo trecenti boves publico sumtu simul mactati sunt, quorum viscera, verubus affixa, assabantur, ut, sacrificio facto, populus epularetur. Quantus omnino sacrificiorum numerus fuerit, docet nos illust. Boeckhius [5]), ex inscriptione quadam, Athenis a Fourmontio inventa, ex qua videmus, τὸ δερματικὸν solum sub Ctesicle Archonte quinquies mille centum quadraginta octo drachmas cum duabus tertiis drachmae partibus confecisse. Quotannis tempore festi, propter victoriam de Persis apud Marathona reportatam celebrati, Artemidi Agroterae quingentae caprae immolatae sunt [6]). Una hecatombe nonnisi ta-

1, Spanh. ad Arist. Nub. 859 ed. Schütz.
2, Xenoph. de Rep. Ath. 3, 1.
3, Xenoph. de Rep. Ath. 2, 9.
4, Lys. contra Nicomach. p. 856 ed. Reisk. ibique Markland.
5, Boeckh. de Oecon. pol. II, p. 249.
6, Boeckh. in catalog. lection. Univers. Berol. per semest. aestiv. 1826 habend. p. 2.

lento venalis erat [1]), quid igitur de ceteris sacrificiorum impensis dicendum est? Neque respublica sola sacrificabat, sed singula quoque collegia sodalitatesque, ne de singulis civibus loquar, cujus generis τὰ δημοτικὰ ἱερὰ et τὰ ὀργεωνικὰ sunt [2]); sed de his, nimirum ad luxuriam privatam pertinentibus, postea loquendum. Architheoro, praefecto collegii a civitate ad sacra ludosque celebranda publice deputatorum, quoties Delon proficisceretur, ex aerario publico talentum ad sumtus faciendos datum est [3]). In alia quadam inscriptione apud Boeckhium [4]) legimus, Athlothetis ad magna Panathenaea celebranda, Philoni ejusque sociis, e thesauro Athenae Poliadis quinque talenta et mille drachmas, nec non annuis sacrificiorum praefectis, Gryllo sociisque, ad Hecatomben comparandam quinque millia centum quatuordecim drachmas datas esse. Nec minorem luxum aut verius jam luxuriam Athenienses in donis, quae diis locisque sacris dare solebant, prodiderunt. Etenim Menexenus quidam [5]) pro donariis, Acropoli destinatis, lapicidae trium talentorum mercedem condixit.

## § 5.

Transimus ad ludos certaminaque. Alcibiades missis ad Olympia celebranda septem curribus, quorum tres victoriam reportaverunt [6]), unus omnium maxime inter Graecos inclaruit, quippe quod a solo illo, neque ab ullo rege vel alio factum erat [7]), adeoque hac re Atheniensibus se commendavit, ut eum maximis laudibus ornandum puta-

1, Boeckh. de Oecon. pol. I, p. 82.
2, Lex. Seg. p. 240. Hesych. et Harpocr. sub v. δημοτελῆ ἱερά.
3, Boeckh. de Oecon. pol. II, p. 229.
4, Boeckh. de Oecon. pol. II, p. 165.
5, Isaeus super Dicaeogen. haered. p. 116 ed. Reisk.
6, Athenae. I, p. 3, e. p. 5 Dind. Isocrat. II, p. 437 ed. Battie.
7, Spanh. ad Aristoph. Nub. 15 ed. Schütz.

rent [1]). Euripides enim illius laudes propter victoriam adeptam, Athenaeo teſte [2]), cecinit carmine, atque Iſocrates his verbis ipſum celebravit [3]): „adhaec in ſacrificiis et aliis, quae ad feſtum requiruntur, ſumtibus adeo liberali fuit animo magnificoque, ut aliorum publicae opes illius privatis minores viderentur. Spectacula autem ille finivit, cum effeciſſet, ut principum quidem virorum felicitas prae ejus gloria exigua videretur; ii vero, qui eo tempore vicerant, in admiratione eſſe deſinerent, iisque, qui equos alere in poſterum inſtituerent, nihil, quo ipſum ſuperarent, relinqueret." Sed ſi quis ex me quaerat, cur, quae de Alcibiade modo narravi, luxuriae publicae, quam privatae adnumerare maluerim, is reputet apud animum, ludos illos auctoritate publica eſſe celebratos. Maximis praemiis ii, quibus palma propter victoriam, in ludis acquiſitam, delata erat, ornabantur. In inſcriptione apud Boeckhium [4]) victori cuidam coronam auream octoginta quinque drachmarum pondus habentem invenimus datam. Olympionicis, Iſthmionicis aliisque peregrinorum ludorum victoribus a republica jam inde a temporibus Solonis praemia propoſita erant [5]). Sed de quibus ſumtibus adhuc egimus, ſi comparentur cum iis, qui gymnicis ludis impendebantur, nihili aeſtimandi ſunt, quod lubenter concedemus, ſi reputaverimus apud animum, non ſolum ipſos Athletas alendos fuiſſe, ſed etiam omnia, quae ad corporum exercitationem et ad ipſos ludos celebrandos neceſſaria, et vel a civitate, vel a Gymnaſiarchis [6]) praebenda eſſent, immenſos ſumtus poſtulaſſe.

---

1, Demoſth. p. 561, fin. Lyſ. pro bon. Ariſtoph. p. 661.
2, Athen. I, p. 3, e. p. 5 Dind.
3, Iſocrat. II, p. 437 ed. Battie.
4, Boeckh. de Oecon. pol. II, p. 299, § 15.
5, Petit. Legg. Att. p. 3 Weſſ.
6, Boeckh. de Oecon. pol. I, p. 494 ſq.

§ 6.

In aedificiis publicis exſtruendis, quorum reliquiae noſtris quoque temporibus admiratione dignae ſunt, Athenienſes magnas pecunias conſumebant. Piraeus, a Themiſtocle exſtructus, ita foris, theatris templisque exornatus erat, ut incredibile fere dictu videatur. Etenim navale illud, a triginta tyrannis deſtruendum tribus datum, ſed poſtea inſtauratum denuo perfectumque [1]), a Lycurgo mille talentis ſtruebatur. Aliud magnificentiſſimum Piraei aedificium erat illud a Philone conditum et a Sulla incenſum armamentarium [2]). Omnes tamen Pericles longe ſuperavit, qui quidem Acropolin ita magnifico ornatu exſtruxit, vix ut ſit, quod dici ſupra poſſit. Prae omnibus aliis invenimus ibi Propylaea, ad quae aedificanda a Mneſicle quinquennis omnino labor, atque a civitate ſupra duo millia talentorum impenſa ſunt [3]); porro Erechtheum cum templo Athenae Poliadis Pandroſioque et templum Nices, quae omnia praeclariſſimis pretioſiſſimisque ſignis ornata erant, et vaſis, ex auro argentoque fabrefactis, ſuperbiebant; praeterea ſplendidiſſimum Jovis Olympici templum; denique et Parthenonem cum ſtatua Minervae, a Phidia ex ebore facta [4]), in qua condecoranda quadraginta talenta [5]), quod fidem fere excedit, impenſa ſunt. Sed et alia urbis aedificia publica ſplendidiſſima erant ac pretioſiſſima, velut Porticus, Pompeium, Tholus, Theatrum, Odeum, Palaeſtra, Gymnaſia, Stadia, Hippodromi, Balnea, alia [6]). Quantus vero numerus fuerit ſtatuarum [7]), ex aere, marmore, auro factarum,

---

1, Meurſ. For. Att. c. 7.
2, Meurſ. For. Att. c. 7 fin.
3, Meurſ. Cecrop. c. 6.
4, Plin. hiſt. natur. XXXVIII, 8, ant. med.
5, Heliod. apud Harpocr. et Suid. ſ. v.
6, Xenoph. de Rep. Ath. 2, 10.
7, Pauſ. Att. 1, c. 24—25.

vel inde colligas, quod ipsis adeo Plinii temporibus tria millia Athenis supererant [1]).

§ 7.

Venimus nunc ad eam luxuriam, quam Athenienses in fabulis agendis ostendebant. Maximam eam pretiosissimamque fuisse, ipsa nos docent veterum testimonia, e quibus primus Justinus [2]) audiendus est, qui his utitur verbis: „post Epaminondae mortem etiam Atheniensium virtus intercidit. Si quidem amisso, cui aemulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti, non, ut olim, in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effundunt, et cum actoribus nobilissimis poëtisque theatra celebrant, frequentius scenam, quam castra visentes, versificatoresque meliores, quam duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur, cum populo urbano dividi coeptum." Ne Plutarchus quidem, qui ceteroquin Atheniensium rempublicam factaque summis ornare laudibus propositum habebat, celare potuit in libro de Gloria [3]): „Athenienses omnem in ea re transgressos esse modum", ipseque his verbis eos accusat: „haec intuens non male Lacedaemonius ille dixit, Athenienses valde peccare, feria in jocosis consumentes, hoc est, magnas pecunias, classibus ornandis impendendas, atque copiosorum exercituum viatica in fabulas edendas profundentes. Nam si quis ad calculos vocaret singularum fabularum impensas, cognosceret, populum majores sumtus in Bacchas, Phoenissas, Oedipos atque Medeae Electraeque fata, quam in bella pro libertate contra barbaros, insumsisse". Atque nos quidem, perlectis iis, quae a Libanio de pecunia theatrali, τῷ θεωρικῷ [4]), in argumento Olynthiacae primae scripta sunt,

1) Plin. hist. nat. XXXIV, 7.
2) Just. VI, 9.
3) Plut. de Glor. c. 6.
4) Poll. VIII, 13. p. 935 Hemst. Harp. Suid. s. v.

vera esse haec omnia fatebimur. Postquam enim originem hujus pecuniae exposuit, hisce pergit [1]): „inde ortus hic mos eo usque processit, ut non solum in eum usum pecuniam cives acciperent, sed omnino omnem pecuniam publicam inter se dividerent. Unde etiam ad militiam subeundam segnes facti sunt. Olim enim militantes stipendia e publico acceperant, tunc vero domi manentes pecunias in spectaculis festisque partiebantur". Neque haec veritati adversari videbuntur a Boeckhio [2]), earum rerum indagatore sagacissimo, edoctis, pecuniam theatralem quotannis triginta talentorum summam confecisse. Huc accedit, quod apparatui scenico, aedificiis, vestibus, machinis, nec non poëtis, histrionibus, saltatoribus, cantoribus, tibicinibus, aliis, magna pecuniae vis impendenda erat. Pollucem [3]) inspicientibus nobis tanta partium theatri offertur multitudo, ut oculis vix fidem haberemus, nisi is esset Pollux auctor, quem nemo rejicere ut parum idoneum possit. Sed his omissis ad solos choros nos convertemus, qui maximo constabant. Videmus enim e Lysiae oratione, quae inscribitur: defensio largitionum, reum quendam duo talenta et triginta minas ad choros edendos intra sedecim annos erogasse [4]).

Denique epulas publicas praetereundas non puto. Quae cum antiquioribus temporibus sacrificantis vel dies festos agentis populi fuissent, postea ita laute opipareque exornabantur, ut ad victoriam de Philippo celebrandam publice epulae, non minorem sexaginta talentis sumtum facientes, ederentur [5]).

Hic vero impraesentiarum gradum subsistimus, de materia hacce propediem alteram, quae de luxuria privata aget, partem emissuri.

1, Lib. Arg. Olynth. I, p. 8, 9 sq. Reisk.
2, Boeckh. de Oec. pol. I, p. 241.
3, Poll. p. 423 sq.
4, Lys. p. 698 sq. Reisk.
5, Theop. apud Ath. p. 532, d. p. 1190 Dind.

# AUCTORIS VITA.

Natus sum Sundiae MDCCCII. die IV. ante Idus Apriles patre Joanne Zander, musicorum artem profitente, matre Maria e gente Vieroviana. Sed jam puerulus, post acceptum baptismum in Evangelicorum societatem receptus, ad cognatos Gryphiae habitantes missus sum, qui, cum ad institutionem scholasticam accipiendam jam aptus viderer, satis idoneis praeceptoribus me commiserunt. Postea Gymnasio ibidem florenti, rectore Nizzio, traditus sum. Vel optimi erant hujus scholae praeceptores, qui tantam diligentiam sedulitatemque in excitandis erudiendisque discipulis adhibebant, ut non male praeparati altioribus ordinibus adscribi possent. In secundum ordinem ego translatus institutione summe reverendorum virorum Ahlwardtii, Breithauptii, Schoemanni, Fischeri tanto litterarum amore inflammatus sum, ut totum me iis dare constituerem apud animum. Annuentibus praeceptoribus sacrosanctam theologiam culturus reliqui Gymnasium anno MDCCCXXII, rectore ill. Breithauptio, ornatus testimonio primi ordinis. Nomen meum professus sum apud Magnificum tunc temporis rectorem litterarum universitatis Gryphicae Prof. et Doct. Kanngiesser V. C., qui me civibus academicis adscripsit. Itaque non minus e mea, quam e parentum voluntate theologicis studiis me ita dedi, ut philologica et philosophica simul amplecterer. Quarum disciplinarum causa frequentavi potissimum scholas summorum virorum Parovii, Boeckelii, Kosegarten, Ziemssen, de Schubert, Finelii, Ahlwardtii, Kanngiesseri,

Tillbergii, Overkampii, Schoemanni, Meieri, Illies, quos omni, quo par est, studio colo recoloque. Peracto cursu academico in aedibus parentum tum litteris, tum pueris edocendis operam navabam. Deinde, exploratis meis progressibus a summe venerando excolendoque Consistorio Sedinensi anno MDCCCV. licentia concionandi et facultate docendi donatus sum. Anno MDCCCVII. iterum examini theologico, quod rigorosum vel pro ministerio vocant, me subjeci, ex quo testimonio optimae notae ornatus excessi. Nunc vero, uno fere anno post examen theologicum praeterlapso, in eo sum, ut hanc meam dissertatiunculam publice defendam, examine rigoroso pro Doctoris Philosophiae et Artium Liberalium Magistri honore dignitateque coram amplissimo Philosophorum ordine feliciter riteque die V. ante Idus Octobres superato.

---

## CORRIGENDA.

Pag. 5 lin. 18 iude leg. inde.
- 5 - 14 jonica leg. jonico.
- 6 - 20 hodie dum leg. hodiedum.
- 9 - 14 assa leg. esse.
- 15 - 18 opificium leg. opificum.
- 24 - 5 MDCCCV leg. MDCCCXXV.
- 24 - 6 MDCCCVII leg. MDCCCXXVII.

